

debet habere. 3. de Finib.

In prudentia duo vitia vitanda sunt, unū, ne incognita pro cognitis habeamus, hisq; temere assentiamur. Quod vitium effugere qui solet (omnes autem velle debent) videt debet ad considerandas res & tempus, & diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamq; operam in res obscuras atq; difficiles conferunt, easdemque non necessarias. 1. Offic.

Vt quisque maxime perspiciat quid in quaque re verissimum sit, quiq; accuratissime & celerrime potest & videre & explicare rationem, is prudentissimus & sapientissimus ritē habere solet. 1. Offic.

Laus philosophiæ, & utilitas. 17

PHILOSOPHANDI ratio est triplex? Una de vita & moribus. Altera de natura & rebus occultis. Tertia, de differendo, & quid verum, & quid falsum, quid rectum in oratione, quid prauum, quid consentiens, quid repugnet iudicando. 1. Academic.

Philosophia in tres partes est distributa, in natura obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam, atque mores. 1. de Orat.

Cum tota Philosophia frugifera, & fructuosa nec vlla pars eius inculta ac deserta sit: tum nullus in ea feracior locus est nec uberosior, quam de officijs, a quibus constanter, honesteque viuendi praecepta ducantur. 3. Offic.

Philosophia mater omnium bonarū artium, nihil est aliud, nisi (vt Plato ait) donum & inuentum Deorum. Hac nos primum ad Deorum cultum,